

ΕΥΕΓΩ!

A. J.

DE

TERMINORUM
ANALOGIA,

INCL. FACULT. PHILOS.
AUCTORITATE

P.D.

M. ADAMUS Rechenberg/

Al. Elect.

&

CHRISTIANUS Zeidler/

Ronneburg. Misn.

Id. Julii. ÆR. CHR.

cl. Ibc. LXV.

LIPSIÆ,
Litteris SPÖRELIANIS,

17.

II. diss. A
3

a. XCIII. 3.

Tras
Reverendo atq; Cari
FRID. GO. HERMANN
Candid. et Pastori
Surgenti meritissimo
Mag. Sui Pastori et
oppido colendo ac tra
cum plur. Ab. appreco
transmittit

V I R Ū M

TRIGAE,

*Magnificentia, Munerum Amplitudine, ac
edecumata doctrina*

maxime conspicuae,

HIERONYMO KRON

MAYERO DOCT. THEOL. P.P.

h. t. COLLEG. THEOLOG. DECANO.

Capituli Misn. Canonico, Academ. Decemviro, Alumn.
Electoral, Ephoro, Colleg. Maj. Principp.
Collegiato.

DANIELI HEINRICHI

DOCT. THEOL. P.P. Prim. Consist.

Elect. & Ducal. Assess. Capituli Misn. Decano, Academ. De-
cemviro, Alumn. Elect. Ephoro Nat. Misn.
Seniori.

CHRISTIANO FRIDE-

RICO FRANCKENSTEINIO

LL. & Hist. P.P. Facult. Philos. Assessori, Maj. Princip. Colleg.
Præpos. Alumn. Elect. Ephoro, Academix Decemviro.

D N N N is

V I R I S

desingulis optime meritis & spectatissimis,

Patronis Evergetis Eoptis ac Præceptoribus
suis.

*Jugi Honoris Amorisq; cultu
maestandis*

Hoc Exercitium

in

grati animi

obsidem

offers

Deditissimus Cliens

M. A. Rechenberg.



Sächs.
Landes-
Bibl.



Auspice J E S U !

προϋρίον.



Quamvis Episcopus Canariensis Melchior Canus cum aliis Scholasticorum disputationes de Nominum Analogiâ, inutiles censeat; nos tamen ipsius censuræ neutiquam subscribimus. Dic enim sodes, si Analogiæ naturam nescis, quid in omnibus fermè disciplinis notissima, Analogi in sua Analogata, Distinctio sibi velit. Sanè si Analogiam in actu signatò (ut loquuntur) scis cum ignaris, nec in exercitò satis intelliges. Ignorantiam hujus doctrinæ vel potius, applicationis multos in errorem duxisse dixerimus. Et licet hujus aliarumq; abstrusarum rerum indagatio non πρὸς ἄλφιστα spectet, vel ad machinas farinarias (ut loquitur Scaliger) conficiendas conducatur: exiit tamen animum inscitæ rubigine, acuitq; ad alia. Scholastici quidem aliquàm multi ante nos de hâc disputârunt: ast illi non Domini nostri sed interdum Duces sunt: Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa futuris (Anastasi Sinaitæ verba sunt) relictum est. Quapropter nostras in hâc potissimum materiâ vires primùm periclitari animi tulit lubido. Sunto proindè in *Nomine*, quò auspiciati sumus Tres futuræ Tractationis *Areola*: in unâ *Nominis notatio*; Alterâ *Rei Descriptio*, Tertiâ denique hujus *Divisio* sistatur ac refutetur.

Loc. Theolog.
l. IX. c. 7. p.
424.

Exercit. 307,
f. 3. p. m. 924.

l. II. Epist. 35.

AREOLA

I.

Ejus conspectus.

Dist. 1. Analogiæ Etymologia. 2. Simplex vox λόγος idem quod Analogia. 3. Latine redditur Proportio. 4. Homonymia

A 2

addi-

additur & mathematicorum vox propria censetur. 5. Martini verbis Musica Analogia describitur, Aristotelis brevior additur. 6. Arithmetica & 7. Geometrica ejusdem verbis cum illustratione Aristotelis delineantur. 8. Analogiam Grammaticam Agellius, Varro & ex his & Fabio Scaliger Ludov. Vives. Dn. Dillherrus depingunt. Petrus Martyr ex eadem colligit. 9. Galeno pulsuum inter se habitudo Analogia est. 10. Majoris & Minoris Termini ad medium habitudo Analogia dicitur. 11. Theologi pro doctrinae conformitate usurpant. Citatur eo sensu Augustinus, eumq; explicans Dn. D. Danhauerus. it. D. Paulus eodem sensu adhibet. 12. Synonymia subjicitur, Terminus pro voce hic sumitur.

- Fab. instit. or. l. I. c. X. f. m. 7. l. V. c. II. f. m. 46. Agell. l. II. N. A. c. XXV. f. m. 15. Ar. l. IX. Ethic. c. 8. in Hist. Animal. sapius. Quintil. L. C. Viétr. l. III. c. 1. L. II. Synops. Eth. c. 15. p. m. 391. Arist. Problē. Sect. XIX. qv. 15.
- I. Analogiam Græcum esse vocabulum, præterquam quòd omnes Græculi noverint, Duumviri Doctissimi Fabius & Agellius testantur: conflatum enim est ex ἀνά & λόγος. Et ut λόγος præter alios significatús apud Stagiri- tam notat rationem & proportionem: sic quoq; ex illo compositum ἀναλογία. Hinc etiam redditur Latinis Proportio, ut à Quintilia- nò, Viétruviò, qui procul dubiò Ciceronem secutus est, cujus verba hæc sunt: quæ Græcè Analogia Latinè Proportio dici potest. Idemq; alibi per similitudinem reddidit. Erasmus potius descripsit, quando rei congruentiam ad aliquid relatæ dixit.
- IV. Mutuò hanc vocem, ut aliàs in Logicis multas ex Mathematicorum Scholâ Aristoteles accepit, ubi triplicem Analogiam s. proportionem Mathematicorum Filii docent, Musicam scil. Arithmeticam & Geometricam.
- V. Musicam Jacobus Martinus describit, quòd in Harmoniâ sonorum & vocum eorundemq; intervallis consideretur; vel ut Philosophus brevius per ἰσότητα ἐπὶ φθόγγων.
- VI. Arithmeticam idem Martinus dicit, quòd consistat in ^{μετρήσει} Quantitatis secundum intervallorum & distantiarum æqualitatem.

VII. Geo-

VII. Geometricam verò vocat, ubi Qualitatis (puto etiam Quantitatis) secundum affectionis & rationis similitudinem per quã hæ & illæ lineæ sunt affectæ, habetur ratio: unde & hæc magis ponderare quàm annumerare Quantitates à Wesenb. in ff. dicitur. Aristoteles clariorem hanc exemplò facit: *tit. 1. num. 11.*
 ὡς ἡ τὸ α. πρὸς τὴν τὸ β. ὅτως ἡ τὸ β. πρὸς τὴν τὸ γ. Et post *Arist. l. IV.*
 pauca ait: ἐν τῇ γεωμετρικῇ συμβαίνει καὶ τὸ ὅλον πρὸς τὸ ὅ- *Eth. c. 2.*
 λον, ὅπερ ἐκάτερον πρὸς ἐκάτερον. Vid. Arist. L. C. & Jo. Fer-
 nelii de proport. l. 2. fol. 15.

VIII. Grammaticorum Magistri & Grammatistæ suam *Agell. L. c.*
 Analogiam pueris inculcant, quæ Agelliò definiente, est simi-
 lium similis Declinatio; vel ut Varro describit: Analogia
 est, qua res inter se aliquã parte dissimiles, rationem habent
 aliquam, ut si ad res duas alteræ duæ conlatæ sint, rationem ha- *Petr. Martyr.*
 bent eandem: vel paullò aliter idem: Analogia est verborum *Tract. de Eu-*
 similium declinatio similis. Ex hæc Analogiã colligit Petrus *charist. p. 1. c.*
 Martyr: Si, qui vitiant aut adulterant testamenta, rectè ap- *297.*
 pellantur testamentarii: nullã injuriã, qui sacramenta corrup- *Scalig. l. III.*
 punt, sacramentarii dicentur. Vide sis prolixius de hæc Ana- *Poët. p. m.*
 logiã differentes Eruditorum Primicerium Scaligerum, Lu- *326.*
 dov. Vivem & φιλολογώτατον Dn. Dilherrum. *Ludov. Vives*

IX. Artificiosam pulsum inter se habitudinem Ga- *comment. in*
 lenus Analogiam, & quasi proportionem Musicam ex quã Me- *l. XIII. Aug. de*
 dicorum χαρίεντες pulsum agnitionem haberent, appellavit, *C. D. c. XI. fol.*
 teste Jo. Fernelio Ambinate. *m. 720.*

X. Quidam Logici Majoris & Minoris ad medium *Dilh. Adpar.*
 terminum habitudinem in Syllogismò non inconvenienter *Philol. p. m.*
 Analogiam dicunt. *63. seqq.*

XI. Nec Theologi hæc Analogiæ voce abstinent, sed *De Proport.*
 sæpius pro conformitate doctrinarum cum fidei doctrinã ad- *in Dedicat.*
 hibent. Quo sensu Augustinum usurpasse annotavit Theologo- *Aug. de util.*
 rum hodiè facilè Princeps Danhauerus, quando ipsius verba *cred. ad Hono-*
 ad Honoratum scribentis explicat. Sunt autem ista: Vetus *rat. c. 3.*
 Testamentum quadrifariã traditur, secundum historiam, se- *Danh. id. Bon*
 cundum Ætiologiam, secundum Analogiam, secundum Alle- *interpr. Ar-*
 goriam, ubi laudatus Theologus commentatur; per Analo- *tic. IV. §. 33.*
 giam *p. m. 49.*

Paulus Rom. XII. 6. *ἐχόντες τὴν
 εὐφροσύνην κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.* quem locum
 Danb. Hermin. Sacr. vindicatum vide sis ap. Dn. Danhauerum.
 Sect. II. Artic. XII. Qvinque Prædicabilium Autor Porphyrius Anz-
 1. §. 7. p. m. *καὶ ὁμοιότητα, ὁμωνυμία καὶ ἀναλογίαν.* it. Analogismus.
 366. Aristoteles sæpè simpliciter λόγον vocat. Rhetores Meta-
 Porp. Is. c. 2. phoram dicunt, quamvis Metaphora amplioris significatûs
 Voss. instit. l. Vosfio videatur. Et quæ plures similes voces reperiuntur.
 IV. c. VII. p. m. Termini etymon præterimus saltem monentes nos hic pro vo-
 86. ce adhibere, Et hæc de Nomine.

AREOLA II.

Ejus

Conspectus.

1. Definitio rerum tractationis cynosura.
2. Analogia Logica Definitio.
3. Legitimum Genus probatur exponitur ex Aristot. Suarez. attrib. Analog. ex Aristot. probari posse falso statuit.
4. Proportio explicatur.
5. In unâ re non datur proportio.
6. Ex B. Stahliô & Fr. Toletô quatuor terminos ad Analogiam requiri probatur.
7. Quatuor Termini in Analogiâ implicite sunt.
8. Analogia est Syllogismus virtualis, exemplo illustratur.
9. Analogia quomodo ab Homonymia & Synonymia differat, traditur.
10. & 11. ex Voëtio & Mendoza diducitur.
12. Exemplo illustratur.
13. Deo Analogicè tribuuntur humana membra, Bohlius censetur.
14. Bonavent. Baro resutatur.

Dist. I. Quod cynosura urfi minoris stella antè nautis erat, quàm sagax hominum industria lingulæ magneticæ vim explorâsset: Hoc Doctis sunt rerum definitiones. Idcirco eam meritò primùm post nominis enodationem ponimus, quò reliqua futuræ tractationis ad eandem feliciter dirigi queant.

II. Analogia Terminorum est rationum similitudo, ob quam plures res idem nomen ejusq; significationem inæqualiter participant.

III. De-

III. Definitionis nostræ ὁμοιότητων ostensuri, Genus, quod rationum similitudinem appellavimus, enucleamus & ex Philosopho probamus. Est hoc Analogiæ communis conceptus, quam vox rei locò posita in percipientium animis gignit. Græcum enim vocabulum ferè hanc significationem requirere, fusiùs suprà ex Quintiliano & aliis explanavimus. Is ait, hoc tantùm Analogiam esse, quando talis fit argumentatio: ut unum ad decem, sic decem ad centum. Atqui hic subsumere potes: unum ad decem se habet per modum decupli. Ergò etiam decem ad centum sic se habebunt. Vocatur hæc Analogia aliàs proportio proportionalitatis, qualis apud Arithmeticos docetur v.gr. Ponamus hos terminos 3. 6. 12. inter hos est proportio: Possum ita inferre: sicut se habent 3. ad 6. ita se habent 6. ad 12. Atqui 3. ad 6. se habent per modum dupli. Ergò & 6. ad 12. ita sese habebunt. Notes hîc nos similitudinem latiùs, quam Vossius usurpare, nimirùm pro Proportione s. proportionalitate ut Toletus vocat.

IV. Et ne contra Philosophum ἐκ περιπάτου aliquid asseruisse videamur, ipse loca nostræ sententiæ statuminandæ suppeditat evidentia. Ethic. I. IV. c. 2. Analogiam expressè vocat λόγος ἰσότητος, quæ Latinè rationis similitudinem sonat. I. IV. Metaphys. c. 6. (nescio cujus editionem Arriaga sequatur, qui lib. IV. Metaph. c. 2. & I. V. c. 6. & lib. I. Eth. c. 6. & 7. Analoga ab Aristotele definiri dicit, cum tamen cit. loc. ne verbum, mihi licuit reperire, multò minus ab ipso definiri Arriagæ credo.) inquit, quòd quædam etiam secundum Analogiam unum sint & quidem talia, ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο, ubi naturam Analogiæ in tali rationum similitudine consistere affirmat. I. IX. Met. c. 6. pari modò Analogiam in rationum similitudine ponit, inquiens λέγεται δὲ ἐνεργεία ἔπαντα ὁμοίως ἀλλ' ἢ τὸ ἀνάλογον, ὡς τὸ ἐν τῷ τῷ ἢ πρὸς τῷ τῷ, τὸ δ' ἐν τῷ δε, ἢ πρὸς τὸ δε. Franc. Svarez hîc notandus, quod ex hoc Aristotelis locò, frustrà à Scholasticis fictam Analogiam attributionis, probare annituntur; cum in illa, ut infrà dicturi sumus, nulla rationum similitudo, sit, qualem hîc Aristoteles statuit. Lib. 2. de part Animal. c. 8. idem asserit Philosophus, quando nimirum hæc tria, sepi-

Quintil. I. V.
instit. c. XI.
fol. m. 46.

Voss. instit. I.
c. VI. p. 86.
Tolet. Com-
ment. in Arist.

Log. c. 1. Ca-
teg. p. 78.
Arist. I. IV.
Eth. c. 2.
Metaph. I. IV.
c. 6.
Arriag. Diss.
X. Log. sect. 3.
p. m. 205.

I. IX. Met.
c. 6.
Svarez. Tom. 2.
Diss. Met. D.
XXIII. Sect. 3.
fol. 14.

*A. II. de part.
Animal. c. 8.*

*Fr. Bon. Sp.
Tract. IV. de
Antepr. dub.
IV. f. 126.*

*Arist. l. IV.
Ethic. c. 2.
Tol. Com-
ment. in Arist.
Log. c. 1. Cat.
p. 78. Stbal.
Not. ad Hor-
neji Comp.
Dial. p. m. 37.
Institut. Log.
p. m. 42.*

*Arist. l. IV.
Ethic. c. 2. in
mediò.*

sepium, spinam & os Analogiam esse asserit, rationemq; addit, quòd hæc tria habeant consequentia, ac si planè ejusdem essent naturæ. Scilicet illud vult, ut eandem proportionem sepii h. e. nervi, qui à capite ad caudam in vermibus est, qualis esse dicitur spinæ in piscibus & spinæ dorsi in hominibus, probet. Vide sîs etiam Franc. Bon. sp. Tract. IV. de Anteprad. Dub. IV. fol. 126.

V. Quemadmodum verò ad omnem similitudinem plura requiruntur; ita etiam ad nostram Terminorum Analogiam, quod in Definitione per plures res expressimus.

VI. Sunt autem illa plura, quatuor Termini, quorum sicut se habet unus ad alterum, ita alius ad alium. v. g. Pes dicitur de parte animalis & de parte lecti. Quam enim rationem habet pes animalis ad animal, eam quoque pes lecti habet ad lectum: Sicuti animal pedibus suis consistit iisq; innititur: ita lectus suis pedibus consistit, suâq; mole innititur. Consentiunt nobis Aristoteles. Franc. Tolet. & B. Sthalius. Vocantur autem termini isti, qui hæc Analogia afficiuntur Analogata, quod hæc Analogiâ quasi analogata fuerint. Hinc Canon: Analogum per se positum insignificatu famosiori intelligitur.

VII. Dicis, ex jam suppositò exemplo saltem tres terminos eruo, nimirum pes, animal, lectus. Sed Respondemus distingv. inter ponere tres terminos actu, & ponere tres potentiâ. Non negamus Analogiam ponere actu tantum tres terminos; potentiâ tamen sunt quatuor, quippè unus bis sumendus est. Exemplum sit communissimum illud, prati risus: vides actu solummodò tres terminos, scil. hominem, pratum risum. Sed si Analogiam eruas quatuor habes. Risus siquidem bis sumitur, primùm de homine benè se habente, & reliquos exhilarante; deindè de pratò benè se habente & virore suò & florum varietate oculos intuentium recreante. En ut terminus risus tanquam intermedius duorum vices gerit. Ipse Philosophus nobis hanc distinctionem suggestit, quando Mathematicorum Analogiam in διηρημένῃν & συνεχῆν distinguï affirmat: illam (quam Acciolus discretam vocat) dicit expressè quatuor terminos habere: Hanc verò continua seu conti-

continens locô duorum unô bis uti. v. g. Sicut se habent 4. ad 8. ita se habent 8. ad 16. &c. de quâ Euclides. Nos hanc in Terminorum Analogia maximè applicari posse asserimus.

Eucl. l. V. de
fin. 9.

243

VIII. Breviter: Omnis Analogia Terminorum est syllogismus virtualis, & à quôvis Analogiam intelligente facile potest demonstrari, sit gratia exempli, Christus qui leo dicitur: Hanc Analogiam syllogismum virtualem continere ostendo: Sicuti se habet leo ad exercendas suas actiones: ita se habet Christus ad exercendas suas actiones. Atqui leo se habet fortiter. Ergo. Et ita in reliquis.

it. Fernel. l. 2.
proport. c. 1.
f. 15. fac. 2.
Apocalyps. V.
5.

IX. In Definitione verò diximus plures res idem nomen & eandem nominis significationem in æqualiter participare, ut ab univocatione & æquivocatione distingueremus: In illa enim univocata nomen & definitionem æqualiter participant: In hac verò æquivocata nomen æqualiter, licet definitionem planè diversam habeant.

X. Vel Analogia cum univocatione in hoc convenit, quòd objectum non habeat omninò diversum, sed aliquò modò simile & idem, cum æquivocatione verò quia non habet objectum omninò simile & idem sed aliquò modò dissimile & diversum. Vid. Mendozam & Arriagam.

Mendoz. Diss
Log. IX. Sect.
3. § 10. fol. 112.
Arriag. l. c.

XI. Aut clariùs: Res quæ significantur voce analogâ, non sunt omninò eadem, neq; omninò diversæ: diversæ quidem in se, una tamen secundum aliquam habitudinem: cumq; admittatur in Analogia aliqualis unitas, & illa fundetur in similitudine aut identitate rerum; oportet ut discernatur unitas Analogiæ ab unitate univocationalis. Discrimen hoc est: hæc admittit unitatem simpliciter, quia assimulantur univoca in unâ aliquâ naturâ seu specificâ seu genericâ. Illa habet unitatem proportionalem, quia analogæ non admittunt paritatem & similitudinem omnimodam in aliquâ naturâ: sed dicuntur esse eadem proportionaliter id est non æqualiter. Hæc ergò habet rationes absolutè similes i. e. cum paritate in aliquâ naturâ. Illa verò deficit ab unitate illâ absolutâ, & solum habet convenientiam modò relativò sumtâ i. e. juxta proportionem. Vide sis Voëtium in Philos. Ref.

Voët. Prim.
Philos. Re-
form. c. 3. p. 53

B

XII. Ex-

XII. Exemplô suprâ datô illustrabimus: Pes respectu animalis & scamni dupliciter considerari potest: partim ratione intrinsecæ suæ naturæ: partim ratione situs & officii. Ratione prioris, pes animalis est membrum vivum constans carne, ossibus, membranis, musculis, cartilaginibus, venis &c. Pes verò scamni est naturæ lignæ: Et hoc respectu pes est æquivocum: Ratione situs & officii si consideres pedem, & quidem quatenus situs & officii proportio inter hæc duo attenditur, est analogum.

XIII. Hinc advertis quæ DEO attribuuntur in sacro codice καὶ ἀνθρωποποιήσας, etiam suò modò Analogicè seu secundum rationum similitudinem explicari debere, non univocè nec æquivocè. Quod dum negligebant quidam in primitivâ Ecclesiâ, Hæretici, quos Anthropomorphitas vocârunt, exorti sunt. Putavit quidem Cl. Bohlius Prof. olim Rostochiensis (quod ex Discursu Nostri Dn. L. Scherzeri super Breviar. Eustach. hausimus) oculum, brachium DEO non καὶ ἀναλογίαν tribui, sed πρόσωπον & maxime propriè, quoniam ex ipsius sententia vocis Ebraicæ עין significatio formalis non sit oculus, sed observatorium seu intentorium: vocis v. עין non brachium sed exertorium. Verùm enim verò nos ipsi non ad stipulamur, quoniam communem significatum, quem per abstractionem Metaphysicam fingit, non admittimus. Voces namq̄ תיפסעי non פוסעי significant.

XIV. Contra Thomistas & quos citat Arragan. l. 4. qv. 1. art. 3. Rodrig. In Antepred. qv. 8. artic. 3. & nos qui cum ipsis facimus, Bonav. Baro Scotista insurgit, urgens Analogam ab Æquivocis non esse diversa. Verba ipsius hæc sunt: Risus prati necessariò æquivocè aut univocè risus cū risu animalis (adeoq̄ risus ut sic ratione utriusq̄ non est tertium quid abstractum, sed alterum extremorum). Respondemus: collectio Scotistæ non est necessaria, debebat enim aliò modò Analogorum cum Æquivocis identitatem monstrare. Deinde largimur ipsi τὸν ἀμφόδιον, risum ut sic seu ratione intrinsecæ suæ naturæ consideratum, quando de homine & pratò dicitur, esse æquivocum: sed consideratus extrinsece quatenus bonæ

Vid. cent. IV. c. III. Hist. Eccl. Magdeburg. p. 373. seq.

Bonav. Baro Curs. Philo- soph. Apolog. Antepred. Act. 2. fol. 132.

bonæ (ut ita dicam) habitationis signum est non æquivocè sed Analogicè de subjectis dicitur. Deindè pergit ille: Rîsus prati aut habet eandem rationem substantiæ i. e. essentiam (ut communiter etiam intelligunt adversarii) cum verò risu qui ab animali fit, aut non habet eandem rationem, cum sint ista contradictoria. Ergo necessariò est æquivocum aut univocum. Respondemus: Rîsus prati non habet quidem eandem rationem substantiæ cum risu hominis absolutè similem, cujus risus actus potentiæ locomotricis ortus ex admiratione dicitur, qui prato non convenit: neque tamen est omninò diversus, quod tamen Philosophi Æquivocorum definitio exigat; habet enim proportionem, comparisonem & convenientiã. Homo ridet cum benè se habet, & aliquò oblectatur objectò (risus enim plerumque lætitiæ argumentum esse solet) Prato convenit, non quòd propriè oblectetur, sed quia benè se habet & suã fruitur oblectatione, quodq; suã amœnitate tripudare lascivireq; videatur. Per talem igitur proportionem æquivocum non dicitur. Eustachius à S. P. hujus sententiæ falsò Aristotelem autorem fuisse dicit, quod prolixius possemus diducere, nî disputationum leges brevitatem commendarent.

Aristot. *Ca-*
teg. 6. 1.

Eustach. à S.
P. *summ. Phi-*
los. Quadri-
part. part. 1.
tract. 1. p. m.

19.

AREOLA III.
Ejus Conspectus.

1. *Arriaga & aliorum Analogia divisio censetur & rejicitur.*
2. *Inæqualitatis Analogia removetur. Fr. B. Spei Græcam linguam ignorat.*
3. *Analogia proportionalitatis Arriaga difficilis videtur, nostram eam hic facimus.*
4. *Analogia in attributionis & Proportionis divisio censetur. Attributionis relegatur. Mendoza & Vœtius cum Proportionis Analogiã confundunt. In intrinseca & extrinseca attrib. Analog. aliã subdividitur.*
5. *Analogia Proportionis in respectu ad attribut. Analog. dicitur. Barò propterea frustra Gr. Lingvæ felicitatem laudat.*
6. *Analogia attribut. Scholasticorum figmentum est.*
7. *Consensus Zabarella Aristot. Fr. de Raconis & B. Dn. D. Hopffneri & Nostri Dn. L. Scherzeri adducitur. Analogiam diversam esse à Termino αφ' εὐὸς τῶν εἰς ἐν monstratur cujus*
8. *aliã tractatio promittitur.*

B 2

1. De-

1. Definitionem positam simulq; expositam specie-
rum recensio vel Divisio excipere debet. Arriaga & cum ipso
Paulus Voëtius (licet paulò aliter explicet) aliq; communiter
in propriam & impropiam dividi Analogiam affirmant. Illa
(loquitur Arriaga de subjectis cui Analogia in est) dicuntur,
in quibus reperitur propriè ratio significata per nomen, ut ra-
tio Entis in DEO & creaturis, respectu quorum communiter
censetur Analogum. Sed Arriaga communiter loquitur: Si e-
nim propriè reperitur ratio per nomen significata in propriis
sic dictis Analogis, non emergit Analogia sed univocatio.
Existimamus, si Arriaga Mendoza & alii Scholastici tantum,
Analogiæ significatum attendissent, gravissimam de Analogiâ
propriâ difficultatem esse, non dixissent.

Arriag. L. C.
Voët. L. C. p.
84.

Mendoza Di-
sp. cit. fol.
112.
C. L.

Log. Tract. IV.
dub. IV. resol.
2. fol. 126.

Lorinus Disp.
2. de Analog.
97. 2.

Mendoza L. C.
fol. 112.

II. Pergit Arriaga Analogiam impropiam, quam
vocat, in inæqualitatis & proportionalitatis dividendo. Mox
tamen hanc divisionem corrigit & inæqualitatis Analoga ri-
gorosissima univoca appellat. Fr. Bonæ Spei verò hanc divi-
sionem cum Cajetanò approbat, & describit, quòd isthac sit,
ubi (plures res) participant rationem unam univocam, cum
aliquâ inæqualitate perfectionis differentiarum contrahentiis.
Sic homo & brutum respectu animalis &c. Verum & hic Bo-
næ Spei Gr. lingvæ ignorantiam cum absurdâ sententiâ prodit.
Præterquam enim quòd Analogia inæqualitatis sit ἀντικειμένον
ἐν ὁμοκειμένῳ, illa etiam quæ participant rationem univo-
cam sunt univoca. Qua propter Lorinus hanc impropiæ A-
nalogiæ speciem meritò impropiam vocat.

III. Analogiam autem Proportionalitatis difficile à
Doctoribus explicari fatetur sæpiùs allegatus Arriaga. Alii
enim inquit, confundere cum Analogia impropiâ contendunt,
alii aliter explicant. Sed his tricis recensendis tempus terere
nolumus. Dicimus, non esse idē cum Analogia impropiâ di-
ctâ, sed esse veri nominis Analogiam, quâ de nostra definitio
loquitur.

IV. Communissima aliàs in nostris libellis Logicis
Analogiæ in Proportionis & attributionis Divisio circumfer-
tur. Prior, uti diximus nostra est; altera sic dicta, **Attributio-
nis**

nis torquet Logicos. Mendoza, Paulus Voët. confundere cum Voët. Pr. Phil. Analogiâ Proportionis videntur. Alii subdividunt in Attri- Ref. c. 3. p. m. butionis intrinsecæ & extrinsecæ: Illa ipsis est, ubi ratio per 53. commune nomen importata est intrinseca: Et hoc modò dicunt substantiam & accidens, it. DEum & creaturam ratione Entis esse Analoga. Extrinsecæ verò nominant, quando res habent unum nomen, ita ut ratio per illud importata, uni sit intrinseca, alteri verò vel reliquis competat per extrinsecam denominationem propter aliquem ad illud respectum. Exemplum habent animal, urinam, medicamentum respectu sani.

V. Ast frustra hâc subdivisione se macerant Scholastici. Analogia Attributionis nulla est, quia in hâc unum de alterò, quod Analogia requirit, non dicitur proportionaliter. Dicis cur Proportionis Analogiam vocas, si non habet membrum oppositum. Idem repetis & genus sui speciem facis? Respondemus: Thomam finxisse hoc divisionis membrum, ut suæ fictæ Attributionis Analogiæ membrum oppositum haberet. Adeoque frustra Baro hinc Gr. Lingvæ felicitatem prædicat, quòd obscuritatem tollat & membra dividenda clariùs explicet, quàm si Analogiam Latine Proportionem diceremus: ibi enim obscurum esset dividere proportionem, in proportionis & attributionis proportionem. Sed obscuritatem istam jam sustulerimus dum Attributionis Analogiam tanquam spuriam abscidimus.

Bonav. Barò
L. C. fol. 131.

VI. Unam igitur Analogiam Terminorum cum Aristotele, B. Schlevogto, Sthaliò aliisque asserimus; & Attributionis Scholasticorum & imprimis Thomæ figmentum respuimus.

Schlevog.
Disput. de gener. rat. Entis ad infer. §. 4.

Detexit hunc errorem olim Zabarella, & Aristoteles ab Analogia distingvit, neque tam latè voce Analogias est usus, ut illa quoque quæ ad unum ab unò dicuntur, sub eâ fuerit complexus. Consentiant nobis Fr. Abra de Raconis, inqviens, ut hoc gratis adferunt sine probatione, sic gratis negatur sine timore. Et B. Dn. D. Höpffnerus, qui negat communia ad unum

Sthal. instit. Log. l. 2. c. 1. de Antepred. p. m. 43. Zabav. de naturalis scient. dici cogn. c. 10. &

B 3

Fr. de Raconis tract. 2. de Categor. qv. 4. art. 2. §. 2. Arist. 1. Top. 6. 6.
Hœpff. comm. in Vet. Log. disp. τὸ ἐν τῷ ἀφ' ἐνὸς τῶν ἐν ἑν. p. 121.

dici posse Analoga. In his enim quæ ita dicuntur est necessaria dependentia unius aut plurium ab unô, quod ut patet in Analogia non reperitur. In Analogia quatuor sunt termini, quorum sicut unus ad alterum, sic alius ad alium affectus est: At quatuor hujusmodi termini & eorum habitudo ad τὰ ὡς ἐν ἡ ἀφ' ἐνὸς non requiruntur, sicut exemplo ad nauseam notô sani patet. Non possum dicere: sicuti se habet sanum ad hominem, ita etiam ad urinam & medicamentum. Sed ita: Sanum de homine urinâ, medicamentô dicitur. Ergò est commune. Deinde urina dicitur sana significativè, medicamentum effectivè & conservative, homo verò subjectivè. Hoc est ὡς ἐν nimirum ad unum hominem, i.e. hæc tria dicunt sanitatem ad solum hominem relatam, uti explicat Noster Dn. L. Scherzerus Præceptor ac Patronus non unô nomine suscipiendus.

Brev. Eustach
qv. XVII. p. 16.
c. 17.

VIII. De Terminô ἀφ' ἐνὸς ὡς ἐν hîc quædam sub-
jicere, primùm constitueramus, sed cùm illa doctrina uberio-
rem explicationem requirat, ἡ ἢ illam aliô tempore daturi
sumus: nunc coronidem huic dissertationi imponimus

JESU Dispice!



EPI-

EPISODIA.

246

Bruta non possunt dici caussa moralis.

DEUS non est in ubi imaginariô.

Substantia nec magis nec minus recipit.

Esse actu primô, & esse potentiâ, non planè idem sunt.

Oppidò eleganter Ebraeorum Physici materiam primam vocant חכמה &

Logici Syllogismi conclusionem קהה.

טו ויוו est pars temporis.

Monarchia per electionem est melior.

*Chronologia mystica Non-neminis meritò à nostris Chronologis explo-
ditur.*

ÆRA & Epocha differant.

*Rectè C. Vell. Patere. l. II. Hist. c. LXIX. Vatini turpem animum di-
gnissimo domicilio inclusum fuisse asserit.*

Fallit Grammaticorum canon :

Respicit HIC proprius, sed respicit ILLE remotum.

*Stella à stando denominatur, quia in cælô stat fixa, & propterea signi-
ficat Mariam ed quod fixa stetit in cælô, quod mirabiliter ste-
tit in Filio suo: Satis inepta denominandi ratio. S. Bern-
bardini Ordinis in Sermon. c. I. Anno 1493, Norimberga ex-
cusis.*

FINIS.

Cell. dis. A. 94, misc. 3